Plurimum Reverende, Clarissime, Doctissime Vir, Dn. Patrue pl. Venerande,

Ex quo D. Cognatus Abiaevenius ad vos migravit, meásq literas unà cum 32 Imperialibus, pro vendito in Aede nostra Mariana subsellio, ad R. D. Patruum perferendas suscepit, nihil responsi ex Belgio vestro obtinui. Sperem tamen, et omnia probe esse reddita, et imprimis vos omnes recta valetudine uti. Quid verò fiet nostrae clarissimae patruelis Catharina Caeciliae; quando sponsa salutabitur? Credebam, Rev. D. Patrue, te tanto citius elocaturum filiam secundogenitam, quod primogenita hactenus χρόνος est, et anni tamen interim quoque tui fluent, et nondum avus ~~[illegible]~~ audis. Nolim quidem de primogenita desperare, quin confido potius, eam excitatum iri, si sororem viderit, laeta spe charissimos parentes aliquando sustentantem, tandemque tertium optimi genitoris cognominem edentem. Illum enim ipse genuisti, alterum mea peperit: illum rectè agere confido, deque ipso omnia eximia mihi polliceor; hunc indies accrescentem video, excitatique et hilaris ingenii indicia non obscurè referentem: tertium filia Auslaria debet; poterit autem secundogenita de eo contendere, si Deus volet. Nos quod nostri officii est, ita praestamus, ut D. Auslario hactenus impositum sit, palmam nobis concedere. Etenim mea die septimo mensis currentis, matutinâ primâ, post exantlatos difficillimos, more suo, labores, tertiâ prole domum meam ditavit, puellâ decenti et gravi, quae, si Deus, uti hactenus fuit, propitius sit, perendie sacro baptismate tincta, Gesa Maria vocabitur. Deo sit laus, nobis benedictio! Non parum solliciti et tristes hocce tempore fuimus, propterea quod conjux dilectissima morbo per tres ferè septimanas infestaretur, et puerpera ferè omnes decurrentibus istis diebus inopinatò gravissimos in morbos inciderent, et etiam septemve nobis bene notae, praeter quasdam ignotas, mortem oppeterent. Vix credas, quantâ consternatione tota civitas tacta sit, cum tertiâ abhinc hebdomade intra quinquendium decem funera efferrent, virorum, foeminarum, juvenum, de quorum morbis vix quicquam innotuerat. Erat inter illa quoque funus D. Joannis Hollen, Senatoris; Christophori Nordenholt ludimagistri; Agnetae Welliae, filiae Doct. Balthasaris p. m. uxoris Francisci Bergen, sororis D. Gerhardi Meiers Rectoris; Hermanni Duerhagen, cujus sororem duxit olim Ludovic. Snell, cognatus noster; Alardi Meiers uxor, Groningorum familiae ultima; et, quod maximè dolui, Bertrandi Boten, juvenis illius, cujus non semel mentionem feci; cujus incomparabile ingenium in egregiam de se spem totam patriam erigebat. Nunquam vidi Gymnasium nostrum adeò triste, et Professoribus et Studiosis uno ore fatentibus, decus scholae patriae cecidisse. Ab epidemica caeteroquin lue ferè immunes sumus, Dei clementissimi beneficio. Duae domus per grassantium admissione pestem sibi accersiverunt, una in suburbio ante mensem, altera hisce diebus in parochia Stephaniana. Illa repurgata est, de hac bene speramus. Belgarum et Hamburgensium vicem dolemus ex animo. De Leidensibus tamen vix quicquam inaudivimus. Deus conservet omnes eos, qui in ipsum sperant. Bibliotheca Ministerii nostri Riveti et Walaei operibus augeri optat. Quaeso, vide Rev. D. Patrue, ut tolerabili pretio ea nobis compares. Nullus n. dubito, quin leviori apud vos veneant, quàm apud nostros Bibliopolas. Vide autem, ut tutò ad nos mittantur. Non est periculum in mora. Pretium à me exspectabis. Epistolam ad Romanos videre gestio. Possem fortè sic unum atque alterum exemplum vendere. Caetera salve amanter à matre, uxore, sororibus,

Bremae 10 Aug. St. v. 1664.

Tuaeque Rev. et Cl.

observantissimo

Hermanno Coch.

Vestrae Claritudini observantissimus [illegible]

Plurimum Reverendo, Clarissimo
Doctissimoq; Viro, Domino Johan-
ni Coccejo, SS. Theol. Doctori et
Professori longè Celeberrimo, Dno
Patruo meo aeternum Venerando,

Lugdunum